



D

Anf  
d

31

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**MARITO FVNDVM  
DOTALEM ALIENANTE,**

QVAM  
IN PERANTIQA VNIVERSITATE ERFORDIENSI,  
EX DECRETO ET AVCTORITATE  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS,

P R A E S I D E ,

VIRO MAGNIFICO, PRÆNOBILI ET CONSULTISSIMO,

**DN. CONR. WILHELMO & treder,**  
JCTO, IVRIDICAE FACVLTATIS ET IUDICII ELECT. PROVINCIAL. ASSESS.  
COD. PROF. PVBL. ORD. CIVIT. STND. ET CONSULE PRIMARIO,  
H. T. EX. DECANO,

PRO LICENTIA  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES AC PRIVILEGIA  
DOCTORALIA

RITE AC LEGITIME CAPESSENDI,  
PVBLICÆ ERFDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT  
AVCTOR

**CHRISTIANVS FRIDERICVS  
KRAPPIVS,**

Schmideb. Sax.

IN AUDITORIO IVRIDICO COLLEGII MAIORIS  
DIE III. FEBRVAR. A. M DCC XXXVIII.

ERFORDIAE, Litteris HERINGII, Acad. Typogr.

29.





I. N. S. S. T.

DISSERTATIO IN AVGURALIS IURIDICA,

DE

# MARITO FVNDVM DOTA- LEM ALIENANTE.

§. I.

**D**ores gentibus aliis, praeter Romanos, notæ ac probatae, jura quædam peculiaria dotium & privilegia insigniora Romanorum propria fuerunt, quæ in jure, ab ipsis condito, proposita inveniuntur. Dos autem est res, quæ vel a patre mulieris, vel a muliere ipsa, vel ab alio, mulieris nomine, marito, ad onera matrimonii sufficienda, datur, quo deficiente, dotem etiam non esse, VLPIANVS JCtus a) pronunciat: sed, matrimonio subsecuto, dotis caussam durare & cum voto ejus, qui dedit, ait contrahi, ut semper apud maritum dos sit, PAVLVS JCtus b) confirmat; quum enim nuptiae sint societas inita cum voto, ut ad finem vite conjugum consistat, non in unum profecto, quod caussam dotis, quæ nuptiarum accessio est, perpetuam esse PAVLVS censeat. Dotem constitui in rebus omnibus,

A 2

quæ

quæ sunt in commercio & a constituentis arbitrio & potestate dependent; sive quantitates sint, pondere, numero aut mensura constantes, sive corpora sint, eaque immobilia & mobilia, neque refert, utrum existentur, an non existentur; præterea res incorporales v. g. nomina in dotem dari, quid? quod & bona fide alienas posse res, non eo sane sensu, ut jus domini invertatur, quippe quod juris nostri ratio non patitur, varum eo significatu, ut inter cooperatorum de dote consentio servetur, ex litterarum monumentis JCTORUM PAVLI, c) CAJI d) & Imperatorum JVSTINIANI, e) VALERIANI f) & JCTI VLPIANI g) percipimus.

a) in legi 3. D. de jure dotum. b) in legi 1. cod. tit. c) in legi 10. hoc. tit.  
d) in legi 42. hoc. tit. e) in legi unica s. 15. C. de rei uxoris actione.  
f) in legi 2. C. de oblig. & action. g) in legi 6. s. 1. D. de jure dotum.

## S. II.

Doti data effectum hunc in jure romano tribui legimus, quod maritus ex ea fructus accipiat & rei dotalis dominium inde sibi adquirat; civile nempo, ex juris hujus subtilitate, si dos inestimata data sit: naturale vero & civile simul, si existimata data sit, ita, ut existimatio venditionis loco habiga fuerit a); si enim existimationem non venditionis causa factam esse adpareat, dum placuit, ut res existimata soluto matrimonio reddantur; vel id convenit, ut matrimonio finito non mariti, sed mulieris electio sit, utrum rem existimatam, an pretium ejus recipere malit, magis est, ut tantum civile dominium marito adquisitum existimetur b); ac, si dos hoc modo saltim existimata, aut plane existimata non fuerit, maritum tamen dotis dominum a JVSTINIANO Imp. c) vocari arbitramur, cuius interim dominium imaginarium est & in universum juris civilis fictione sustinetur: ast nihilominus eximios effectus producit, inter quos numeramus, quod maritus post traditionem rei dotalis vindicandæ facultatem accipiat d): aut, quum res aliena in dotem data, ejusque possessionem, nondum impleta usucapione, maritus amiserit, publiciana actione ei experiri VLPIANVS JCTUS e) permitat: porro quod ipsam mulierem, soluto matrimonio, ad dotem repetendam,

29 (3) 80

tendam, non vindicatione, sed tantum personali actione, puta rei uxoris, aut ex stipulatu uti JUSTINIANVS Imp. f) tradat: tertio, quod maritus servum dotalem, irrequisito uxoris consensu, manumittere, secundum sententiam ALEXANDRI Imper. g) possit, immo olim fundum dotalem italicum alienare ei licuerit, ut lex julia, ad hanc libertatem tollendam, necessaria fuerit. Observamus autem, dominium, quod maritus accepit, absolutum & perpetuum non esse; sed relationem ad matrimonium habere: unde, si ad tempus constitutae dotis atque ipsius matrimonii attendamus, maritus dotis dominus est: si vero exitum respiciamus, quod scilicet dos quandoque restituenda sit, uxor domina habetur h); per id tempus tamen, quo matrimonium constat, maritus dominus dotis est, eo in primis effectu, qui fructuum acquisitione terminatur, ut inde matrimonii onera sustineantur. Habet ergo eo intuitu administrationem, vindicationem & alia, quae ad fructuum perceptionem tendunt. Si quis alias dominii effectus est, mulier dotis domina erit: quippe mariti dominium tantum legum subtilitate nisi JUSTINIANVS Imp. i) judicat: ast ideo rei veritas deleta vel confusa hard est; quia res dotales ab initio uxoribus fuerunt & naturaliter in ejus dominio permanerunt: hinc VLPIANVS k) dotem proprium mulieris patrimonium vocat, item in bonis ejus esse AFRICANVS l) ait, si ad effectus spectemus, quibus I Ct res, neglecta subtilitate, estimare solent, sic, si maritus thesaurum in fundo dotali inveniat, in alieno, id est mulieris, eum invenisse intelligitur, ideoque totum non pertinere ad maritum, tanquam fundi dominum, sed pro parte dimidia esse mulieris VLPIANVS m) scribit. Ob eandem causam maritum, si arbores in fundo dotali cedat, non suas facere, nisi in fructu sint, quales sunt cedrae; ceteras non in fructu haberet & magis accessiones fundi esse, hincque ad mulierem pertinere, quae ejus domina ante contractum matrimonium fuit & hoc soluto, rursus futura erit, idem I Ctus n) adnotat. Ulterius, quando maritus omnia sua bona in censum deferre jubetur in eam dotem deferre haud maritum teneri PAVLVUS o)

responderet; quia nempe naturaliter non est ejus, licet juris subtilitate fructuum percipiendorum causa ejus esse catur. Quare etiam dos periculo uxoris est; quum maritum tantum dolum, culpam latam & levem præstare p) FAVLVS q) dicat: quin Imperator JVSTINIANVS r), qui passim in jure, quod concinnavit, fœminis favet, veteris, ut ait, juris argutias respuens, ipsam vindicationem uxori, ad res dotaes soluto matrimonio recuperandas, tribuit: qua tamen sanctione JVSTINIANVS a jure antiquo recessit; quum antea uti monuimus, ad doris repetitionem tantum actio rei uxoria, aut actio ex stipulatu daretur; caussatis, dominium rerum dotalium apud iniuriam mansisse, sive estimatae sive inestimatae sint; quin utique estimatione rerum dotalium, manifesta fiat emio & venditio: sicut autem rerum venditarum periculum est maritoris; ita periculum rerum hoc modo estimatarum est maritici: ast Justinianum hac nova singulari constitutione rei vindicationi & hypothecæ juri, quod mulieri ante omnes mariti creditores hypothecarios dedit, colorem aliquem quæsivisse celeberrimus NOODTIVS s) observavit.

a) vid. lex 39. C. de jure dotalium, iix 10. lex 14. lex 15 l. 16. l. 17. l. 25. D. de jure dot. b) vid. lex 10. g. 4. l. 11. l. 69. g. 7. & 8. D. de jure dot. l. XI. D. de fundo dotali l. jux D. soluto maritum. dos quemad pet. c) in print. f. quibus alienare sit. q. el. non. d) lex g. C. de rei vindic. e) in lege 3. & 5. l. D. de publice, in rem allione. f) in s. 29. f. de actione. g) in lege 3. C. de jure dot. h) vid. lex 30. C. de jure dot. i) in leg. d. l. j) in lege 4. l. k) in lege 4. D. de collat. bonor. m) in lege 7. g. 12. D. soluto maritum. dos quemad pet. n) jam cit. loco. o) vid. lex 21. g. 4. D. ad municipal. p) in lege 21. g. 1. D. ad municipal. q) in lege 17. D. de jure dot. r) in lege 39. C. de jure dot. s) in comment. ad pand. sit. de jure dot.

### §. III.

Exposita sic hujus dominii doris indeole, illud nunc, quod jus romanum de marito, seu doto domino, si fundus dotalis vel inestimatus, vel estimatus taxationis gratia, uti juris huius interpres loquuntur, ei traditus fuerit, alienante talem fundum, startuit, in dissertatione nostra inaugurali, gratia diuina adjuti, proponemus. Jus autem romanum maritum alienare

403 (7) 50

alienare tale predium dotalē verat & per alienationem non  
eum solum actum, per quem dominium in alium transferatur,  
intelligit; sed alienationem hec latius accipit, ut ceterorum  
etiam iurium translationem in alienatione hac complecta-  
tur. In pandectis & codice tirulus de alienatione cadem  
agens, de fundo dotali inscribitur: appellatio tamen fundi  
ad omne predium dotalē, sive rusticum, sive urbanum per-  
tinet; tum, quia & PAPINIANVS a) & VILPIANVS b) JCTI  
& ipse Imperat. IUSTINIANVS c) identidem pradii dotalis  
meminerunt; tum, quia prædiorum etiam urbanorum area  
ac fundus intelligitur; immo pars insulae area est & quidem  
maxima, cui superficiem cedere JCTUS PAVLVS d) putat;  
tum denique, quia & de urbano prædio dotali ab VILPIANO  
JCTO e) sermo institutus. Pradii dotalis appellatione porro  
non modo illud contineri, quod a muliere, vel alio ejus no-  
mine re ipsa datum est, sed &, si quem maritus uxori fundum  
deberet, ea id, quod maritus debet, dotalē esse volenter  
JCTUS PAVLVS f) significat. Mariti autem nomen (ponsum  
quoque completi, si ei sponsa, spe futuri matrimonii fun-  
dum in dorem dederit ex iis, que JCTUS CAJVS g) memorie  
prodidit, edocemur: quin & omnem eum, qui vel ex volun-  
tate viri, vel sine viri voluntate, sed ex capite ejus, fundum te-  
net, comprehendendi jure romano obtinuit: nam si mulier Cajo  
nuptura, voluntate ejus fundum dotis nomine Mevio tradat,  
ejus conditionis fundum illum foro, cuius esset, si Cajo ipsi  
traditus fuisset PAEVVS JCTUS h) demonstrat: idemque est,  
si pater filiifamilias, uxorem ducentis, nomine domet, facie-  
perit, quum & saceri voluntatem in distrahendo prædio do-  
tali nullam esse JCTUS PAPINIANVS i) pronunciet.

a) in leg. 12. D. de fundo dotali. b) in leg. 13. cit. tit. c) in princ. 9. quibus  
iun. alienare licet vel non. d) in leg. 98. q. 8. D. de solvi. & liberat. e) in  
leg. 6. D. de fundo tot. f) in leg. 14. D. jam cit. tit. g) in lego 4. cod.  
tit. h) in lego 12. hoc ill. i) in lego 12. hoc tit.

#### §. IV.

Quod autem juris romani autores fundi dotalis aliena-  
tionem maritum arcuerint, a cura solertissima, qua pro mu-  
lierum

lterum salute vigilarunt, derivandum esse censemus; illis enim in primis curæ res mulierum fuisse, varii juris articuli confirmant: hinc Senatusconsultum Vellejanum & alia mulieribus utilia descenderunt; hinc legis Julia sanctio etiam de fundo dotali non alienando originem duxit, quæ omnia fundamento hoc fulciuntur, ne fragilitas sexus muliebris, ut JVSTINIANVS Imp. a) ait, in perniciem substantia carum convertatur. Nonnulli certe mulierem a mollitie dictam esse non immerito statuant, quum viros non raro mulieres blanditiis & minis flectere, quo velint, experientia, rerum magistra, comprobet; indeque fraudes enascuntur, mulieres quasi hamo doli mali capiuntur ac fragilitate sua circumscribuntur; ut proinde VLPIANVS b) recte judicaverit: mulieres, propter sexus imbecillitatem multis casibus supponi atque obierit: imbecilles nempe & infirmæ foeminae delimitis maritalibus frangi facile possunt, & fragiles inde eas Justinianus recte vocat, indeque fit, ut improbi quidam mariti, animos uxorum suarum labentes, vel minimo negotio, ad rerum alienationem impellant: de sexus sequioris fragilitate OVIDIANA enim Phyllis eleganter canit:

Fallere credentem non est operaosa puellam

Gloria: simplicitas digna favore fuit.

Simplicitatis mentionem injicit, quæ calliditati opponitur; per simplicem enim fraudis nefcum quendam intelligimus: ut igitur a simplicitate & fragilitate sexus foemini insidijs quas virorum quorundam malitia fortunis mulierum molitur, depellerentur, Principes, sapientissima ratione, fundi docalis alienationem plane prohibuerunt.

a) in princ. J. quibus alienare licet vel non. b) in lege 2. §. 2. D. Ad Senatus-consultum Vellej. c) in epist. 2. Vers. 63.

### §. V.

Providentia legis Juliae hac in re saluti foeminarum consultum fuit: lex Julia autem aetate AVGUSTI Imperatoris, in sexto suo consulatu, lata eademque, quæ in adulteros data, fuit, cuius caput aliquod de fundo dotali, testimonio HEINECCI a) & OTTONIS b) agebet ejusque verba

verba hæc erant: *dotalē p̄adūm itālicū maritūs, invita uxore, ne alienato, ne consentiente ea obligato: eandem legem JCtus PAVLVS c) repetit & CAJVS d) & UPLIANUS e) interpretantur: hæc lex ita infirmitati sexus prospiciebat, ne mulier invita aut ignorans a marito fundi dotalis alienatione lñdereatur; obligatione vero ne sciens & consentiens quidem damno adficeretur; quod facilius foemina obligationi, quam alienationi consentiret, damno in alienatione præsente, in obligatione futuro; ad præsens hinc damnum mulier, quod ei imminereret, avertendum satis prudens, a futuro minus causa censeretur.* JUSTINIANUS Imperator legem juliam confirmavit in jure suo pariter, atque etiam auxit; in institutionibus enim ita locutus fuit f): accidit aliquando, ut qui dominus sit, alienare non possit; & contra, qui dominus non sit, alienandæ rei potestatem habeat; nam dotalē p̄adūm maritūs, invita muliere, per legem juliam alienare prohibetur; quamvis ipsius sit, dotis causa ei datum, quod nos, legem juliam corrigentes, in meliorem statum deduximus; quam enim lex in solis tautummodo rebus locum habebat, que italica fuerant, & alienationes inhibebat, que invita muliere habent, hypothetæ autem earum rerum, etiam volente ea: utrique remedium imposuimus, ut etiam in eas res, que in provinciali solo posita sunt, interdicta sit alienatio, vel obligatio, ut neutrum eorum, neque consentientibus mulieribus, procedat, ne sexus mulieris fragilitas in perniciem substantie earum convertatur. JUSTINIANUS ergo legem juliam primo in eo emendavit, quod, quam ea lex italicum saltim p̄adūm, non provinciale, alienare eam ob causam vetaret, quod sola p̄adūm italicica, non provincialia, usucapi possent; hincque opus non esset, ut viro p̄adii dotalis provincialis alienatione interdiceretur; quum hoc ab uxore, soluto matrimonio, facile vindicari nullaque ei exceptio usucaptionis opponi posset: is legem juliam ad provinciale quoque p̄adūm porrigeret; ex quo enim usucaptionis jus ad p̄adūm etiam provincialia protulit, non potuit non etiam p̄adiorum dotalium in provinciis alienationem prohibere g), qua maritum fundum dotalement, consentiente uxore, alienare vetuit: deinde Justinianus le-

( 1 )

gem joliam in eo cortexit; quod, quum lex julia fundi dotalis alienationem, consciente uxore, permitteret, Imperator consensu isti vim omnem admetit, ea, quam jam reconsuimus, ratione motus, ne maritus delinimenti maritibus confessum uxoris, in alienationem predii dotalis uxori permicio fam, elicere. Quæ JUSTINIANVS Imperator in institutionibus cavit, in codice h) & in novellis i) denuo, ut seniissimæ sue voluntatis documentum ederet, constituit.  
ill) in syntagmate antiquum, rom. lib. 2, tit. 8, §. 9, b) in notis ad Institut. lib. 2, tit. 8, c) in sentent. recept. lib. 2, tit. 21, d) in leg. 4. D. de fundo dotali, e) in leg. 5. cod. tit. f) in princi. Inst. quibus alienare possit vel non g) in leg. 1m, §. 15. C. de rel. uxoris ast. h) in nob. 61. §. 32. 8. 7.

Sed quod iam adnotavimus, per alienationem fundi dotalis illicitam, non volum eam, qua dominium, sed & qua aliud jus in re in alium transferendum, iuri romanis conditores intellectus titerius demonstrabimus. Evidem Imperat. SEVERVS & ANTON. a) alienationem describunt, quod sit omnis actus, per quem dominium transferatur: dominium tamen in latiore sensu hec accipitur, quo omne jus in re complectitur, cuius rei veritatem exemplis quibusdam comprobabimus, licet leges, que alienationem predicti dotalis dannant, de dominio stricto in significatu summo plerisque agere inficiantur non eas mus. Predii vero dotalis dominium proprium a marito alteri, neque totum, neque pars ejus recte tribuitur: predii enim appellatione VLPIANVS b) etiam partem continet: proinde sive totum predictum in dotem sit datum, sive pars predicti, alienari non poterit. Oppignorationem predicti dotalis matris permissam non esse ex ipsis legis julia verbis perceperimus. Servitutem fundo dotali maritus nec imponere, nec vicissim eam, que fundo qualita fuerat, remittere potest, quod VLPIANVS c) & JULIANVS d) loci testantur: VLPIANVS ait: neque servitutes fundo debitis potest maritus amittere, neque ei alias imponere, ne per hoc detinatur predicto predii fiat: JUSTINIANVS Imperator e) usus tractus constitutionem & emphateuseos impositionem quoque prohibet his verbis: sancimus, si lex alienationem inhibuerit, non solum domini alienationem, sed etiam

etiam ususfructur dationem, vel hypothecam, vel pignoris nexum  
penitus prohiberi; similique modo & servitutes minime imponi  
nec emphyteusos contractum. GORDIANVS Imp. f) prohibitionem  
eam ad provocationem, que a marito fit ad divisionem  
prædii communis, eius pars indivisa in dotem data fu-  
erat, extendit: mariti inquietus, qui fundum communem tum  
altius in dotem inassimilatum acceperunt, ad communem dividendo iudicium  
provoke non possum, licet ipse posset provocari. Ad aliena-  
tionem cædem PAVLVS g) & TRIPHONIUS h) JCTi referunt,  
si kante matrimonio maritus inchoari usucacionem fundi  
dotalis ab ejus possessore passus fuerit; quum vix esset, ut non  
alienare videretur, qui usucapi pateretur. His addimus, quod  
& fundi dotalis possesso a marito vix alii cuidam cedi queat;  
non loquimur tamen de possessione, quam ipse maritus ha-  
buit; hanc enim a marito nomine ejus exercendam alii concedi  
posse; aff eam, quam ipsa uxor hucusque sola exercuit, ma-  
ritio facto suo intervertere non licere LEYSER VS JCtus i),  
recte statuit. Observamus etiam adhuc, quod maritus iuri  
cuicunque uxori in prædio dotali quæsito, renunciare, aut  
id transiungendo remittere non possit; renunciatio enim &  
renuntio sine dubio ad alienationem spectant, quod rerum  
judicatarum auctoritatem ibidein JCtus LEYSER k) probat.

a) in lege 1. C. de fundo dot. b) in lege 13. D. hoc tit. c) in lege 5 & 6.  
D. hoc tit. d) in lege 7. D. eod. tit. e) in lege 7. C. de rebus alienis  
non alienandi. f) in lege 2. C. de fundo dot. g) in lege 28. D. de verbis  
signis. h) in lege 16. D. de fundo dot. i) in spec. ju. med. l. ad pand.  
k) in spec. goi med. s. ad pand.

### S. VII. ORDI DEDICATIO

Quoniam IUSTINIANVS Imperator a), sexus infirmati  
opem latus, viro alienatione fundi dotalis interdixit; neque  
eam quoque valere sancivit, in quam uxor consensit; inde ne-  
que eam, secundum sacratissimi Imperatoris hujus mentem  
& juris romani analogiam, licet esse arbitramur, quam uxor  
jure jurando corroboravit. In jure sane, quod Justinianus  
componi jussit, iuramentum, quod actui, legibus non adpro-  
bato, adjungitur, omniyi delittuatur; quippe ALPIANUS JCtus  
l. ad pand. 2. a) B. 2. b) tra-

ditionem ususfructus; contra uenientem ususfructus

etiam ususfructus; contra uenientem ususfructus

b) tradit: quoties pactum a fave communis remotum est, servari  
hoc non oportet, nec jus jurandum de lege adactum, ne quis agat,  
seruandum: & Imperat. THEODOR. & VALENTIN. c) nullum  
contrahendum inter eos videtur voluntus sufficulum, qui contrahunt  
lege contrabere prohibente: secundum itaque hanc regulam certum  
est quod stipulationem bifaciem tenere, nec sacramentum adhuc:  
ex his legibus BALDVS d' ALCIATVS e) aliquie JCTi sapien-  
ter collegiunt, sacramentum jurantem, adeoque etiam so-  
mmam consentientem in alienationem fundi dotalis, non  
obligare, ubi lex obligationem damnet, hoc in primis in casu  
dotis, quo favor publicus versetur. Verum enim vero Pon-  
tifices maximi, propter auctoritatem jurisjurandi, quo Deo:  
jurantem obligari & salutem animæ maxime in eo consistere,  
atque hoc in calu insuper alienationem tantummodo in dam-  
num uxoris vergere censuerunt, ut mulieri consentienti & ju-  
rantí alienationem fundi dotalis factam infringere non liceret,  
decreverunt: INNOCENTII III. enim f) clarissimi hac de re  
constitutio extat: quum contingat interdum quod constante ma-  
trimonio mulieres alienationibus super rebus dotalibus & donatio-  
nibus propter nuptias consentiant, ne ultiorem contraveniant pro-  
prio sacramento firmando, ac soluto processu temporis matrimonio  
contravenirentur: utrum hoc eis licet a nobis ratiocinatus  
requisitus? nos autem fraternitati tua rescribimus, quod eis mu-  
lierum consensu in talibus non videatur obligatorius secundum legi-  
timas sanctiones: ne tali tamē praetexta tamē contingat permissus  
operi, mulieres infra servare debent huiusmodi sacramenta, sine  
vi & dolo sponte prestata: quum in alterius preiudicium non re-  
dundant, nec obseruantur in dispensum salutis aeternæ. Ju-  
risjurandi tamē vinculo mulier non constringitur, si jura-  
mentum vi dolore prestatum sit, aut alteri noceat: metum  
vero aliquo tempore intervallo præcessisse, vel ipso aliena-  
tionis tempore incussum, nihil interesse putamus; quum in  
utroque casu uxor impedita, quo minus consensum liberum  
suum declarare, sed consentire coacta fuerit.

a) in prime. f) quibus alienare licet et non b) in lego 7o §a 16. D. de patiti.  
c) in lego 5. G. de legibus. d) ad leg. 23. G. de jure dot. e) ad Leg. I. n.

## §. VIII.

adip. folio 30 verso, quemad. dos pet. s. 10 cap. 28. x. de jure  
 iurando suo filio mu  
 mico etiam maritum  
 : 1000. De alienatione fundi dotalis, quæ hactenus commemo-  
 travimus, usu quoque in Germania foris quam plurimis cu-  
 stodiri consentientibus suffragiis JCTi ferme adfirmant. Saxon-  
 es tamen, STRYKII a) testimonio, alienationem prædii dota-  
 lis, si mulier ejusque curator in eam consentiant & decre-  
 tum magistratus cum causâ cognitione interveniat, permit-  
 tent SCHILTERVS b) solum consensum mariti & uxoris  
 sufficere potat, juri provinciali saxonico antiquo innexus c)  
 feta. Weib mag ihres Gutes iches vergeben, ohne ihres Man-  
 ens Willen: wenn er ein Weid nimmt, so nimmt er in seine  
 Gewebe alles ihr Gute durch der Vorwundschafft; sed wesen-  
 textus d) texum sive mon de bonis dotalibus, sed uxori  
 propriis, non etiam de potestate mariti, sed uxoris agere adi-  
 madvertit; adeoque vix commode hic textus, in antiqua  
 communione potissimum se fundans, quæ olim in Germania  
 inter conjuges obtinebat, & alienationem bonorum consen-  
 tiente utroque conjuge permittiebat, ad nostrum ævum ad-  
 plicatur, quo in Saxonia distinctioni inter bona dotalia &  
 paraphernalia locus datur, & antiqua bonorum communio  
 interit. Ex antiquis quidem Germania juribus in Saxonia  
 hoc in usum remansit, quod maritus usumfructum ex omni-  
 bus bonis uxoris regulariter percipiat: postquam tamen jus  
 romanum in Saxonia receptum est, distinctio hæc bonorum  
 ad uxorem pertinentium fora saxonica etiam intravit, ma-  
 xime, quod ad privilegium prælationis attinet, quod uxori  
 tantum in dotalibus bonis competit; probandumque sic est,  
 quid in dotoem datum fuerit; quum in dubio dos non con-  
 stituta existimet: igitur textus paullo ante excitatus ad  
 paraphernalia merito restringitur; in dotalibus vero, alie-  
 nandi ea, quæ in hoc §vo jam adnoravimus requiruntur;  
 consensuque sic solus utriusque conjugis, quod CARPO-  
 VIVS e) moneret, bonorum dotalium alienationem hæc con-  
 firmat; quum etenim jus romanum hac in alienatione obser-  
 vari

vari debeat, quatenus mores antiqui quodammodo servati  
sit limitibus non circumscriperint.

a) in usu penal mod. iiii. de fundo dot. §. 2. addi. tit. de iure dot. §. 7. b) in  
praxi libris rom. in foris Germanie exercit. ad panad. 36. §. 95. c) lib.  
I. juris saxon. probine. artis. 31. d) ad tit. pand. de fundo dot. e) par-  
te 2. conslit. 15. defini. 2.1.

## §. IX.

Quamvis ergo jus romanum alienate fundum  
dotalem veruerit; variae tamen in eodem iure exce-  
pciones, que tales alienationem tueruntur, inveniuntur,  
ex quibus quasdam proferemus. Solam alienationem vo-  
luntariam lex iulia de fundo dotali prohibuit; inde ex cau-  
sa necessaria ea fieri potest, si nempe summa necessitas ad-  
dit, & maritum nonsolum, sed uxorem ipsam potissimum  
adficat; nam, ubi ius propter necessitatem aliquid fieri per-  
mitit, quod alias non licet, novissimam intelligit: dein-  
de recta ratio satis indicat, res uxoris, ob alterius necessi-  
tatem vendi non debere; itaque, &s alienum si maritum  
premat, fundus dotalis non recte propter id alienabitur: ast  
si ipsa uxor ære alieno obruta sit, aut se liberosque &  
parentes suos inopere aliter atere nequeat, hoc ad alienatio-  
nem predii dotalis sufficere LEYSERVS a) adfimat. PAV-  
LVS ICtus b) singularem casum necessaria cuiusdam aliena-  
tionis, quam lex imponit, quoque recenset, si ob id, quod ma-  
ritus damni infecti non cavebat, vicinus in possessionem pre-  
dii dotalis missus sit, ac deinde possidere ex secundo editio-  
nussus, possessor & tandem dominus efficiatur; nam  
si cautio, quam prætor interponere injungit, non pra-  
fetur, missio in possessionem partis vitiœ sic, nec interest, ad  
quem res vitiœ pertineat; quum & in pupilli & in eius,  
qui reipublicæ causa abest, adeoque & uxor res, si non  
descendantur, missionem fieri posse VLPIANVS c) significa-  
ret: hoc tamen casu, si maritus vel dolo vel culpa cautio-  
nem omiserit, finito matrimonio estimationem predii do-  
talis amissi præstare tenetur. Idem juris est, si maritus ad  
divisionem predii dotalis, cum altero communis, non ipse  
pro-

provocet, sed ad divisionem ejus provocatus fuerit; quum istam quoque divisionem tunc ex parte mariti, non voluntariam, sed necessariam esse GORDIANVS Imperat. d) decernat; quippe, si sociis maiorenibus a communione recedere consultum videatur, maritus, nomine uxoris provocatus ad divisionem, hoc communi dividendo judicium infuscipit ac ad divisionem procedit, et si inter alienationis species rerum divisio numeretur; quod haec alienatio necessaria sit & neminem in societate communioneque persistere Imp. DIOCLET. I. MAXIM. e) compellant. Per universitatem quoque dotale predium transire PAVLVUS f) monet, puta ad heredem defuncti, sed, quod heic notamus, cum suo iure, seu salvâ dotis causa; atque hinc, quia finito matrimonio prædium dotale durat, alienari nequit, etiam a fisco, si fundus dotalis ad eum pervenerit, qui, YERIANO. ICto g) auctore, licet semper idoneus successor sit & solvendo; non tamen ea alienare potest, quæ lege alienari prohibentur; quia immo uti GOTHOFREDVS g) observat, hoc casu mulier, in possessione rerum suarum existens, impediere potest, ne possesso rerum suarum ad fiscum transeat.

a) in spec. XII. med. 13. ad pand. b) in lege 1. D. de fundo dotti. c) in lege 1. D. de fundo dotti. d) in lege 2. C. de fundo dot. e) in spec. XII. med. 13. ad pand. b) in lege 1. D. de fundo dotti. c) in lege 1. D. de fundo dotti. d) in lege 2. C. de fundo dot. e) in lege 5. C. communidividundo. f) in lege 1. D. de fundo dotti. g) in lege 2. cod. iii. h) in notis ad leg. 1. D. de fundo dotti.

### S. X.

Nec lex Iulia in fundo dotali estimatio locum invenit, quoties estimatio venditionem fecit, adeoque revocabile fundi dominium in maritum transiuit, vel latim id actum fuit, ut in arbitrio mariti possum esset, utrum fundum, an estimationem reddere veller, & utroque in casu maritus tempore restituenda dotis solvendo esset; quum hisce in causibus maritum non prædii, sed summa velut pretii debitorem fieri ALEXANDER Imp. a) rescripsit. Diversum foret, si estimationio non venditionem contineret, vel arbitrio mulieris relictum esset, utrum fundum dotali recipere mallet, an estimationem b). Verum, si maxime vendendi animo

xsti-

58 (16) 32

estimatio facta fuerit, maritus autem solvendo habet esse, etiam tunc revocabile tantum dominium translatum consideri, ac mulierem rerum dotalium extantium vindicandarum potestarem habere IUSTINIANVS Imperator c) constituit. Quodsi mulier id in dotem dederit, quod sibi maritus debet, is vero fundum cornelianum aut decem aureos, vel fundum cornelianum, aut sempronianum alternatum debet, alienationem fundi permisam esse, quamdiu res utraque alternative debita in rerum natura sit, atque ob id electio adhuc marito salva, utrum fundum sempronianum, aut decem aureos, an magis cornelianum debere ac dotalem efficiere velit AFRICANVS d) & PAVLVS ICri e) docent. Quin, si fundum cornelianum iam alienaverit, sed postea rursus eundem redemerit, in eius potestate adhuc situm est, an redendum dotalem sinecure alteriusque alienare velit, id quod ex obligationis alternativa indole fuit, quæ efficit, ut debitor eligere queat; sed si ex duabus rebus alternative debitibus una factis supererit, unus nempe fundus, electione, per interitum alterius rei pererita, hunc solum fundum, qui supererit, deberi, atque ita dotalem fundum legis iulie dispositio ni subjacere certum est f)

a) in lege 5. C. de jure dot. b) sic. leg. XI. D. de fundo dot. c) in lege 30. C. de jure dot. d) in lege 9. D. de fundo dot. e) in lege 10. D. in dot. f) in lege 10. tit.

§. XI.  
Ad pres' mobiles dotales lex Julia non porrigitur, nam Ictus CÆSARIS auctio res in dotem date, que pondere, numero & mensura consenserit mariti periculo sunt; quia in hoc dantur, ut eas maritus ad arbitrium suum disperbat, & quandoque soluta aarmonto, ejusdem generis & qualitatis alias restituatur vel ipse, vel heres ejus: neque nocet, quod sint res pretiosæ; quum id nulla lege cautum sit, neque eadem mobilium, quæ immobilium ratio inventiatur; dum inanis saepe circa mobilia legis prohibitio esset, ubi illa a marito alienata semel sunt, quæ plerumque ab emitoribus celantur, ut difficilis postea eorum persecutio sit; quod de immobilibus, interversioni tali haud obno-

obnoxii, non metuendum est. Neque argumentum in contrarium a tutoribus recte repetitur, quos CONSTANTIUS Imperator b) aurum, argentum, gemmas cæteraque preciosa alienare aceret; quum diversitatis ratio manifesta in eis sit, quod in marito, tanquam domino rerum dotalium, regula vigat. secundum quam, qui dominus est, potestatem rei alteranda habeat, nisi lex impedit: ast, quum in solis praediis dotalibus legis prohibitus adpareat, consequitur, ut in mobilibus rebus regula communis standum sit. In tutoribus autem, dominii jure in pupillari re destitutis, regula contraria admittenda fuit; nimur, quia domini non sunt, nulla alienandi facultas tribui illis posset, nisi quæ ipsi nominatione a lege data perspicitur; quæ, quum tantum circa res mobiles, quæ servanda servari nequeunt, ipsi data, in ceteris vero aperientur. Constat enim in lege excitata devenegata sit, evidens est, per perpetuum usum agere, qui maritos proprieatum dominiorum, circa res mobiles dorales potestarem ex tutorum, non dominorum, circa res pupillares potestate magistrorum volunt. Quid? quod mulier sibi imputare debet, quod mobilia in dotem dederit, quæ, etiam in eo usque se legis prohibiti extenderit, interverti tamen facile posset: ubi e. configuratione pupilli imputari nequit, quod tutor res mobiles administraret, ut proinde magis pupilli, extra omnem culgam positis, quam uxoribus vindicationem mobilium alienatorum permitti æquum fuerit.

a) in lego 42. D. de jure dotum. b) in lego 22. C. de administrat. inorum.

### §. XII.

Ex potestate marito in re mobili dotali data etiam colligimus, quod, uxor si nomen idoneum marito in dotem dederit, is nomen illud exigere ac pecuniam in usus suos convertere queat: quum enim pecunia res mobilis sit, nomina quoque & actiones, quæ iob tam competent, mobilibus accesseri debere. LEYSERVIS (Catus a), adleverat. Actio etiam cum condicione certi ex mutuo, quam mulier creditrix contra debitorem suum instituere potest, ad id præstandum, quod in

C. obli-

# HAC VITATIE IURIDICAE

obligatione continetur, in personam est, & hinc pro mobili  
re judicatur: nam, quia ipsa persona tantum creditoris, jus  
& actio quaesita est, & sola debitoris persona ad aliquid præ-  
standum obligata est; consequitur, ut, quemadmodum ipsa  
persona tum debitoris, tum creditoris, mobilis est, ac domi-  
ciliū suo arbitratu transferre potest; etiam actio hæc per-  
sonalis, omnibus quasi personæ inhærens, velut accessio  
ejus, mobilis astimetur & nomen quod ex re mobilis ena-  
scitur, mobilem quoque rem esse adulteratur, quod adserunt  
PEYSERVS b) ad eum quoque casum adplicat, si pro corde  
bito bonum immobile antichretice sit obligatum; principale  
Cenim in debito hypothecario objectum est pecunia, quæ de-  
betur, hujus causa nomen contrahitur & pignora consi-  
tuuntur: ex pecunia igitur & obligatione personali ipsum  
jus disjudicari debet; non ex illa re, quæ accessorie saltim &  
minus principali, tanquam pignus, intervenit; illa enim,  
quæ ad obligationem constitutam extrinsecus accedunt, ejus  
naturam haud mutant: insuper JCTi prestantissimi CARPO-  
VIVS & alii nomina, eti illis pignus vel hypotheca rei im-  
mobilis sit annexa, ad mobilia referunt.

a) in spec. 31. coroll. 1. med. ad pand. b) in spec. 26. med. 2. ad pand. 6.  
parte 3. consit. 23. def. 9.

## §. XIII.

Inveniantur in iure nostro & aliis casus, ex quibus ex bo-  
no & æquo permittam esse prædii dotalis alienationem adpa-  
ret. Quando pecunia ex fundi alienatione redacta in fundi  
longe utilioris emtionem conversa est, alienatio talis, utpote  
qua mulier ex sexus fragilitate nullum damnum sentit, pro-  
cul dubio licita erit; quam inde potius & utilitas uxoris pro-  
moveatur, & expressa tam uxoris quam mariti voluntate  
& conditione alienatio fiat, ut pecunia ex fundo dotali alie-  
nato redacta, in prædium comparandum convertatur, idque  
prædium rursum dotale fiat: MODESTINVS JCTus a) unde ait  
~~constantem matrimonio dotem permutari posse, si hoc mulieri utile sit,~~  
~~si ex pecunia in rem, aut ex re in pecuniam, idque probatum est.~~  
quod sit

19 50

quod si fuerit factum, IULIANUS b) pergit, fundus, vel res dotalis efficitur: eo nempe modo, quem paullo ante exposuimus: nam si maritus suo tantum nomine ex pecunia dotali rem emerit, eam non heret dotali, DIOCLET. & MAXIM. Imperio his verbis clarissimis probant: ex pecunia dotali fundus a matre tuo comparatus non zibi queritur, at dotali tantum actio tibi competit: & generatim & regulariter res sit ejus, qui eandem emit & per traditionem confequitur, et si ex pecunia alterius fuerit comparata, nisi exceptio clara in jure comprehensa proferri possit. Quod si uxor marito suo alienanti heres, sive ex testamento, sive ab intestato, extiterit, in quantum tunc pro capite, qua heres est, factum defuncti praestare obstringitur, nisi quantum alienatio subsistit, d). Ex tractu temporis quoque alienatio convalescit, si uxor in matrimonio decesserit & fundus dotalis alienatus ex pacto lucro mariti cedat, sive pactum id antenuptiale sit, sive soluto matrimonio, inter maritum atque uxoris heredes intervenerit, quem calum MARCIANUS JCtus e) proposuit: fundum dotalium maritus vendidit & tradidit: si in matrimonio mulier decesserit, & de lucro mariti cessit, fundus emtori avelli non potest. Neque his obflat, quae de seruo MODESTINVS JCtus f) exponit: si servo alieno libertas, non consentiente domino, data est, valere ex auctoritate juris non potest; quamvis postea manumisso domino heres extiterit, nam hec ejus jure cognationis, qui manumisit, beres extiterit, non ita adiungere hereditatis libertatis dato confirmaruntur. Namlibet ratio in eo posita est, quod manumisso vindicta facta, actus legitimus fuerit, atque ob id neque ex die, neque ex conditione suspensa esse potuerit, sed aut statim ab initio valere, aut nunquam tractu temporis limitatem manuisci debuerit; quum ex adverso praediti dotalis venditio ad actus legitimos nunquam referatur; ac proinde etiam ejus effectus in suspensi esse potuerit, donec acquisito a marito pleno dominio jus emtoris confirmatum fuerit.

a) in lege 26. D. de jure dot. b) in lege 27. cit. tit. c) in lege 12. C. de jure dotalium. d) argum. lexis 10. D. de fundo dot. & 14. C. de rei vindic. e) oportet ut d. fundo dot. f) in lege 20. D. qui & a quibus manumisso liberi non sunt.

## CIVIUS AGRICOLA XIV.

Dum mulier somel iterumque post biennium in alienationem praevidotis consentit, et alienationem sufficit. Quia nonnulli auctorantur sequi postulatum in IUSTINIANI Imperatoris auctoritate fundatum: *Si mulier perfecte et admodum intercessione vel cautionem confessus est, vel pignus aut emeritatem praeferat; sacerdos, antiqua legum cura rite confessus, si quidam inter biennia tempus post priorem cautionem quam in iudicium procedens causa fecerit; cautionem vel pignus aut intercessione videtur; ubi sibi praeditum est, quod adhuc ex configuratione praefixa regitatis in facturam incidente. Si autem post belli annos sex decim, sibi imputet, si quod sapienter regitatis post belli annos non fecit, sed ultra fruatur, videtur etenim ex his annis non expensis prolixitate non pro alijs obligacionibus diligenter sed pro sua causa quid agere. Et tamen sicut in cautione sibi abnoxiari facere, quam pignus aut intercessione utiliter dare.* Verum ipse IUSTINIANVS Imperator auctoritate alienationem vel obligationem fundi dotalis, consentiente etiam muliere reprobavit, ne sexus fragilitas in perniciem substantia mulierem convertatur; ratibilio vix quoque aliquid operatur; nam qui ab initio consentire nequit, nec postea ratum aliquid habere potest: atque ex his rationibus non sine distinctione in JCorrum eorum sententiam concedimus. *Quod legem enim excitatam concernit, ea agit de intercessione mulierum, non de fundo dotali, ex qua argumentum ad fundum dotalium vix adeo commode trahi RACHOVIVS c) statuit. Tunc igitur, si maritus illas febus abundet, ex quibus uxori satiheri potest, causatus ab huius post biennium repetitus, validam efficeri alienationem poterit; ac tunc argumentum ab intercessione reponitur mulier duci posse largimur, quod Imperator IULIANUS ALXANDRI d) sententia confirmare videtur, ubi duum maritum fundum uxoris nsidente rescriptum quod, si maritus fundum uxoris, in vita vel ignorante ea, vendiderit, uxor cum non oblati premo, a possidente vindicare possit: si vero postea de ea venditione uxor consenserit, contra emtorem nullam actionem habeat; contra venditorum*

rem vero de pretio negotiorum gestorum actionem exercere non prohibeatur; tunc certe uxori alienatio nullum damnum, quod lex iulia ab ea averttere intendit, infert alienatioque sic non prohibita esse censetur. Si vero maritus cum rerum inopia & egestate conficitur, nithique in bonis ejus superfit, unde uxori satisficeri possit; tunc neque ex primo, neque ex secundo uxoris consensu alienatio talis validatur; quia neutro lesionem ab uxore depulsum ita tam certum est, quam quod certissimum d.)

Denique ad bonorum paraphernalia prohibitio legis  
nullae haud pertinet illuc ea bona alienare, sine contentu  
mariti, DIOCLET. & MAXIM. Imperat. a), concedunt:  
maritus et contrario illa, invita uxore alienare nequit, ea-  
dem consentiente, potest b) quam ea, que de bonis do-  
talibus in iure romano circa alienationem constituta, haud ad  
paraphernalia prolata esse & magis si consensum in aliena-  
tionem eorum bonorum, que a marito fit, uxor imperatur,  
eandem subsistere incusatam; favor etiam doris longe ma-  
jor, quam paraphernorum in eodem jure sit, dosque a para-  
phernalis distinguatur c). In Saxonia & aliis provinciis Ger-  
maniae, in quibus usus fructus honorum paraphernalium vi-  
ris competit, salva mulieribus potestas, paraphernalia ab-  
quo consensu maritorum alienandi, haud remansit, ne alle-  
natio ea in eorum detrimentum vergeret; si maritus cum  
contentu uxorius paraphernalia alienet, quin ea alienatio re-  
gulariter valeat, non dubitamus.

a) in lego 6. C. de revocandis donationibus. b) argumento legis 8. C. de patetis consentis. c) bid. LETYSER. spec. 302. med. 1. ad pand. d) bid. STRYK. in usu pand. mod. tit. de fundo datiali 5. 6.

§. XVI.

Cæterum, si maritus, vel alias, qui ex mariti voluntate, vel pro marito, dotem suscepit, contra legis prohibitionem fundum dotalis alienaverit, aut obligaverit, quid

olnioni 17. 1050 (122) 1150  
quid est factum, ipsorum nullum est, actione competenter confirmatur nec in alium dominium transire, ex hypothesz jus aut aliud enascitur, ac mulierem, vel etiam heredem eius, ad praeium alienatum a marito vindicandum a quo- cunque possessore, JCtus VLPIANVS a) & Imperat. JVSTINIANVS b) admittunt, live totum, live sola pars eius alienata fuerit. Nec refert, utrum post allegationem jam elapsum sit tempus usucacioni implenda praesumitur, nec ne durante enim matrimonio, quum mulier impedita, quo minus dote regulariter petret ei, tanquam agere non valent, prescriptio non currit: si modo stante deinceps matrimonio usucatio coepit & impleta sit, nam iuxta JCt TRT- PHONINI c) sententiam, si jam ante nuptias ac dote constitutam inchoata fuisset, lex Julia eam non interpellat, quod minus deinceps matrimonio constan- te implentur, quo tamen casu rem sui periculi maritus facit, s. quoniam posset, eandem petere neglexerit: sane, si paucissimi tantum dies ad longi temporis possessionem perficiendam superfluerint, quoniam primus praeium in dote daretur, nihil est, quod marito imputabitur, adeoque ipsi mulieri hoc damnum amilli dominii nocebit. Quodsi autem a tempore soluti matrimonii, etiam- tisque sic impedimenti, integro prescriptionis tempore praesinito, uxor heredes eius fundum non jure alienatum vindicare neglexissent, quin deinceps vindicatio exceptione prescriptionis summoveatur, non dubius & ancipites su- mis:

a) in lege 13. D. de fundo dote. b) in lege 30. C. de jure dotum. c) in lege 16. D. de fundo dotali.

### S. XVII.

Vindicat uxor praeium dotalē a marito minus recte alienatum finito deinceps matrimonio, vel eo durante extraordinem, si maritus ad inopiam ver- get: quippe tempore matrimonii regulariter fundi dotalis repetitio, adeoque & vindicatio a tertio possesso cessaat; quoniam matrimonio durante inopiam do- minus fundi dotalis permaneat idque, quod circa dote a marito factum est, uxor hinc regulariter impugnare nequeat: ex causis tamē nonnullis a legibus probatis, manente etiam matrimonio, dos reddi uxori debet & fundi dotalis vindicatio ergo contra tertium possessorem sufficitur, præcipue ob mariū inopiam supervenientem, si ita ejus patrimonium diminutum, ut periculum sit fore, ut mulieri post nuptias deinceps solutas agenti, inanis de dote actio sit, atque sic necessitas posulet, ut in vivis existente marito praeium dotalē a tertio vindicetur: VLPIANVS JCtus a) enim inquit: si constante matrimonio, propter inopiam mariti, mulier agere solet, unde exactionem dote initium acci- re ponamus? Et constat, exinde dote exactionem competere, ex quo evidenter apparet, maritus facultates ad dote exactionem non sufficiunt: neque hanc re- petitionem & vindicationem a tertio possessore cautio, per maritum oblata, im- pedit; quoniam ea uxorem securam haud reddat, atque intacta mulieri iura con- servare, quam post vulneratam causam remedium queri melius est; caro et iam, atque malevolum mariti propositum mutet, si a prodigalitate luxuriae inopia

inopia procedat, neque, si infortunio ac casu aduersis diminutio facultatum imputanda videatur, novercantis fortuna gradum impetumque cautio sitat; hoc tamen libentissimi fatemur, si uxor praedium dotale vindicaverit, ejusdem fructus ad maritum, per id tempus, quo durat matrimonium, pertinere; b) An aurem, marito forsitan ad meliorem fortunam revertente, dos vindicata marito restituvi debeat; dubitatum est? quæsiōnis decisio ab eo pendere viderur, an per opūlētiā supervenientem dotis amittendæ metus cefset, ac tuto prædium dotale marito committi possit, quod admittendum est, ubi casus maritus ad pauperatatem redactus fuerat; sed, si ob manifestam ejus luxuriam fundus dotalis ante alienatus erit, magis est, ut per opes de novo adlatas periculum amittendæ dotis non cefset; quam opulentia illa non magis, quam cautio oblata, genium mariti, ad perdendum quasi nati iterumque quæsiō propediem dissipatur, mutet c).

a) in lege 24. princ. D. soluto matrī, dos quemad. pet., b) sicut, lex unica C. si  
dos constante matrī, soluta fuerit, c) conf. LATTERMACH. in coll. theor.  
præf. iii. de fundo dos. §. 15.

**XVII. ab his quæsiōnibus**

Quodsi uxoris fundum dotalem a tertio possessoire vindicaverit, possessori isti premium ejus fundi solvere hanc obstringitur; etiam si possessor id prædium bona fide emerit; quod ALEXANDRI Imperat. a) rescripto hoc: *maritus fundum tuum, invita vel ignorantie, vendere jure non potuit; sed rem tuam a possessoire vindicare etiam, non oblatio pretio poteris: probamus, ne uxori vindicans rem suam emere cogatur;* is tamen, a quo prædium evictum est, actione de evictione adversus auctorem suum regescum habet, eti ab inope marito vel si post mortem ejus prædium vindicatur; ab ejusdem hereditibus suum raro consequi possit: si vero ex eodem preto aliquid in rem uxoris versum fuerit, id uxori restituere omnino illi, a quo rem suam vindicavit, tenetur, alias locupletior fieret cum alterius jactura, quod æquitas ratio non patitur & LETSERVIS JCTus b) rei judicata exemplo commemorata digne confirmat: maritus nempe fundum uxoris ex causa necessaria oppignoraverat, deinde, nulla urgente necessitate, vendiderat, atque ex pretio creditori satisficerat, reliquum in suos usus converterat: uxori fundum alienatum revocabat & visticem sententiam oblinebat, absolvebaturque quidem a solutione pretii, id tamen quod creditori pignoratio solutum fuerat, reddere jubebatur, utpote quod in rem ejus versum erat. Quodsi etiam uxoris fundum dotalem a marito alienatum a possessoire post mortem mariti vindicet, a possessoire ad hereditatem defuncti mariti, eti ex ea sumum consequi possit, ablegari nequit, sicut de re LETSERVIS c) idem calum singularem proponit: maritus fundum dotalem vendiderat, sine uxoris consensu; marito mortuo & concursu creditorum contra eum excitato, uxoris fundum suum ab emtore vindicabat: emtor excipiebat, viduam premium fundi & mariti hereditate petere debere: sed JCri Vitebergen-  
ses eam invitam ad id cogi hanc posse pronunciarunt; quod JVSTINIANVS d)  
uxori

uxori vindicationem praeditam manu alienata, post dissolumentum matrimonium, tribuisset, et si maritus opulentius fuisset, acque adeo ex eius banis uxori satisficeri posset. Urgebat possidere maxime istam regulam: quod ibi non nosce & mihi prodest, ad hoc potes compelli: sed secundum statutum LOMONII JC<sup>u</sup>e, magis renuiplano quam actionem habere uxoris intererat.

- a) in leg. 3, C. de iuri vindic. b) in spec. 311. med. 4. ad pand. c) cit. loco med. 12. d) in leg. 30, C. de iure dot. e) in leg. 204. D. de diversis regulis iuris.

### S. XIX.

Quum autem uxor rei vindicatione perdurante interdum matrimonio agat, maritus ipse, qui fundum dotalem alienavit, item simul exercere nequit. Evidem CONSTANTINVS Imp. a) marito, circa mandatum, in rebus uxoris liberam agendi atque intercedendi facultatem tribuit; potestasque hinc aduersus uxori agenti marito via denegari posse videtur & hanc sententiam LAVTERBACHIVS JC<sup>u</sup>us inclitus b) quoque, hac duabus ratione, defendit, quod PAPINIANVS c) marito revocare predium dorale adeoque vel uxori revocatur fundum cum aduersitate eo tantum calu non permittat, si mortua uxore dos lucro ejus cedar; deficienteque ergo hac conditione maritum admittendum esse adierit, quia tamen maritus uxori adiutorius non potest non propriam turpitudinem allegare; atque alienationem a te contra leges factam patiri, id quod cum bonis moribus pugnat; maritus præterea emotori ad evictionem prestatu<sup>m</sup> obligatur, eisque ligatus & aduersitate exceptio rei vendita & tradite oblitus. Namque hactenus suum proprium impugnare valet; inde perducimus ut maritum cum uxore, vindicante fundum dotalem, item simul exercere hand posse & potestare, quam iura mariti uxori in aliis causulis adiuncti tribuerunt, ad hunc casum applicandam non esse, arbitriehabat. De eis casu non contraversitur, quod si uxor in matrimonio ex hominum vita demigraverit, & dos lucro mariti postea cesserit, maritus, qui alienavit, a redicione huius corporis excludatur; quam RAPINIANVS eum post obitum uxoris, prædictum dotale voluntem vindicare, areat & regula ea in iure satis confirmata, quem de evictione tenet actio, hunc agentem non admittit exceptio, a limine furi repellet.

- a) in leg. 21, C. de præceptis. b) in diff. de fundo dot. §. 37. C. 29. c) in leg. 42. D. de usurp. C. aluctap. d) vid. lex 1. D. de exceptione rei vend. C. tractat. e) in leg. 42. cit. f) vid. STRIK in ius mod. ut. de fundo dot. §. 77.

### S. D. G.

AB: 65717

X 2290245

VD 17





DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVG<sup>V</sup>RALIS IVRIDICA  
DE  
MARITO FVNDVM  
DOTALEM ALIENANTE,

QVAM  
IN PERANTIQVA VNIVERSITATE ERFORDIENSI,  
EX DECRETO ET AVCTORITATE

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS,  
P R A E S I D E ,

*VIRO MAGNIFICO, PRÆNOBILI ET CONSULTISSIMO*

DN. CONR. WILHELMO & trecker,

JCTO, IVRIDICÆ FACVLTATIS ET IVDICII ELECT. PROVINCIAL. ASSESS.  
COD. PROF. PVBL. ORD. CIVIT. STND. ET CONSULE PRIMARIO,  
H. T. EX-DECANO,

PRO LICENTIA  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES AC PRIVILEGIIS  
DOCTORALIA

RITE AC LEGITIME CAPESSENDI,  
PVBLICÆ ERUDITORVM DISQUISITIONI SVBMITTIT

CHRISTIANVS FRIDERICVS  
KRAPPIVS,

Schmideb. Sax

IN AVDITORIO IVRIDICO COLLEGII MAIORIS  
DIE III. FEBRVAR. A. M DCC XXXVIII.

ERFORDIAE, Litteris HERINGII, Acad. Typogr.